DE MORBO LUPO

DISSERTATIO ACADEMICA,

QUAM,

CONSENT. INCL. ORDINE MEDICO LUNDENSI

PRÆSIDE

NICOLAO HENRICO LOVÉN,

PHIL. ET MED. DOCT., MED. THEOR. PROF. E. O.

PRO GRADU DOCTORIS

PUBLICE DEFENDERE CONABITRU

AUCTOR

JOANNES JACOBUS WESTERBERG,

MED. LICENT. OSTROG.

IN ACAD. CAROL. D. XVII JUNII MDCCCXLI.

HORIS A ET P. M. SOLITIS.

LUNDÆ,

TYPIS EXCUDIT CAROLUS FR. BERLING,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS,

MDCCCXLI.

Nulla classis morborum tam diu fuit omissa ac neglecta quam eorum, quibus diuturnius laborat cutis, vel chronicorum quos dicunt. Omni quidem tempore artis medicæ optimus quisque cultor in morbis illis tractandis elaboravit, numquam tamen studium eorum omnino pervulgatum est. Quamobrem ad recentissimum usque tempus doctrina morborum cutis densissimis tenebris fuit involuta et quas varias eorum affectiones more et ratione medicorum vere eruditorum tractari fas erat, ex iis factus est ineptorum pharmacopolarum campus uberrimus ac latissimus, qui arcana remedia ad eas plerumque adhibuerunt. Quid est quod res ita se habeat, quum morbi cutis minime sint rari neque difficiles dignotu, quippe qui sub aspectum aperte cadant. Ipsa facilitas, qua morbos illos adesse potest comprobari, nescio an fuerit in causa, cur tam pauci iis studuerint, nec minus ad hoc efficiendum valuit quod istos morbos, quum sæpius in iis ratione curandis operam perdidissent veri medici, perquam facile sanarunt inepti.

Morbi cutis tamen inde ab antiquissimis temporibus cogniti fuere. Inter Aegyptios vulgares videntur fuisse pristinis temporibus. Etiam inter Israelitas mala cutis sæpe occurrisse in Pentateucho commemorat Moses. Affectiones varias illius morbi describit Hippocrates variis his nominibus: *λεπρα, ψορα, λειχηνες, εξανθηματα* cet. suntque maximam partem ita accurate ac diligenter expositæ, ut formas morbi hodiernas perbene dignoscere possimus Qui Hippocratem secuti sunt, ad ea, quæ in scriptis reliquerat magister, pauca solum de suo addiderunt, et ad rem implicandam potius quam ad illustrandam sæpe contulerunt eorum commentarii. Apud Celsum prima invenimus vestigia diligentioris studii morborum cutis, quos accuratius definiit et quorum nominibus ab Hippocrate datis nova quædam adjecit, qualia sunt hæc: *impetigo, papulæ, porrigo, sycosis cet.* Post Celsum et per totum, illud tempus quod vocant medium ævum, excolebatur quidem paullatim doctrina morborum cutis, nullo

tamen certo ordine, nulla classium descriptione, quo factum est, ut diversorum generum affectiones uno nomine sæpe confunderent auctores, unde maxima disturbatio orta est. Morbos illos in classes vere digerendi periculum primus fecit *Mercurialis* (a:o 1576), qui duas statuit esse classes morborum cutis, unam eorum, qui caput afficiunt, alteram eorum, qui in reliquo corpore occurrunt. — Post id tempus paucas quasdam monographias hujus rei accepimus, inter quarum auctores sufficiat enumerare præcipuos, ut Turner, Plænck, Willan, Alibert, Franck, ad quos accedunt hi fere nostri ævi celebres dermatologi, quales sunt Biett, Rayer, Gibert, Trystedt, Riecke, cet. Omissis horum scriptorum variis divisionibus contenti erimus sola classium descriptione cel. Willan, quæ, quamvis minus quam optandum est, naturæ conveniens, tamen omnium est simplicissima et intellectu facillima, quamque in studio dermatologiæ hodie sequuntur plerique. Habet ea octo *genera*, quibus subjiciuntur variæ formæ primitivæ. Hæc sunt genera: 1. Papulæ, 2. Squamæ, 3. Exanthemata, 4. Bullæ, 5. Pustulæ, 6. Vesiculæ, 7. Tubercula, 8. Maculæ.

Partibus maximi momenti cutis fungitur, quippe quæ hominem, quem tegit, cum externa natura quasi conjungat, unde tamen fit, ut in eam res externæ majorem habeant vim, quam in ceteras corporis partes. Omnium secretionis et purificationis organorum hoc latissime patet, quamobrem turbatis illius functionibus sæpe fit vas et receptaculum materiæ cujusdam peccantis internæ; multitudine nervorum, qui per totum ambitum se distendunt, intime conjuncta est cutis cum reliquo corpore, unde efficitur, ut una et, ut dicunt, consensualiter afficiantur. Quæ cum ita sint, studium variarum affectionum cutis haud scio an nemini videatur leve, præsertim si quis est, qui rite perspexerit, quanti æstimanda sit anatomia pathologica, quique cognoverit, quantum indies proficiat illa disciplina.

Morbum cutis eam esse affectionem morbidam intelligimus, quæ ex diathesi locali aut generali orta, vel colorem vel texturam vel functiones tegumentorum cuticularium omnino mutet, promte diffundatur crescens, iterum redeat, et sæpius conjuncta cum æstu, pruritu et dolore remedia singularia desideret.

Ea dermatosis, quam hic tractandam suscepimus, cui inter alia et Lupus nomen additum morbis cutis chronicis est adnumeranda et dignoscitur tuberculis livido-rubris, dolorem nullum afferentibus, quæ in alterutra ala nasi, in labro superiore aut in gena oriuntur, latius serpunt et in ima et in summa cute ocius seriusve se aperiunt, atque in ulcerationes abeunt, quæ crustis cæruleis et atris teguntur. Quibus ulceribus sanescentibus cicatrices exoriuntur inordinatæ, striatæ, in longitudinem plerumque porrectæ, iisque simillimæ, quæ ex ustione efficiuntur.

Synonyma: ἑρπης ἐσθιομενος, Hippocrates; *Therioma*, Cels. [1]; *Serpigo*; *Herpes vorax, rodens, serpiginosus*, veteres auctores; *Formica corrosiva* Arab. *Noli me tangere*, *Papula fera*; *Lupus vorax*, Paracels. *Carcinoma lupus* [2], Sauvages; *Lupus*, Willan [3], Biett, Rayer [4]; *Dartre rongeante*; *Esthiomene*, Alibert; [5] *Noma*, Lin. [6]; *Lupus*. Riecke [7], Rust.

Sedes morbi, si paucos excipias casus, præcipue est in facie; primum oritur in regione alterutrius alæ nasi tuber instar pisi, cui se adjungunt alia plura, quæ locum tenent aut inter alas nasi et labrum superius, aut in aliis partibus genarum; præter faciem interdum occupant etiam humeros ac pectus. Quotiescumque in extremis corporis partibus apparuit, præcipue eas partes occupavit, quæ articulos circumdant, dorsum pedis ac manus. Cutis qua morbus incipit, fit rubra, tumet et interdum sentiuntur compunctiones. Deinde in conspectum veniunt plura tubercula plana, haud distincte circumscripta, colore livido-rubro. Quamvis tubercula videantur esse plerumque morbi illius forma princeps; hoc tamen in dubium vocatur a Cazenavio et Blasio, qui statuunt eam esse organisationum cuticularium ipsis elementis diversarum, quia viderunt eam in membrana mucosa alterutrius naris cum inflammatione ortam, rubescente nare et turgescente, ex quo crusta tenuis in membrana Schneideriana exstitit, in cujus locum, quum avelleretur, densior successit. Sub hac vero ulceratio oritur, quæ imas partes invadit et crusta tegitur, prioribus multo densiore. Alias morbus visus est ex sensim progressa extenuatione cutis nasci, quæ speciem habet cicatricis, nulla tamen antecedente ulceratione, nullis tuberculis, nulla affectione denique nisi rubore helvolo, levi colorum commissura, quem subinde quædam desquamatio sequitur. Avulsis crustis ex alis nasi, nares admodum adstrictas sæpe invenimus, id quod effecerunt inflatio partium affectarum et cicatricis induratæ. Ex ulceribus virus graveolens, seropurulentum plerumque effluit.

Tres varias esse formas Lupi statuit cel. Biett, quarum 1) quæ per superficiem manat (*L. Ambulans*), 2) quæ partes imas penetrat (*L. terebrans s. perforans*), 3) quæ cum hypertrophia conjuncta est.

---

1) De Medicina. Lib. V. Cap. XXVIII.
2) Nosologia Method.
3) Delineations of Cutaneous Diseases by Willan and Bateman, Tab. 67.
4) Dictionnaire de Medecine et de Chirurgie pratique.
5) Description des Maladies de la Peau Tab. XIX.
6) Linnæi Amoenitat. Acad. Genera Morbor.
7) Krankheit. der Haut.

1) *Lupus ambulans.* Hæc species, si originem et progressum respicias, duas habet formas, a), quæ neque oriens neque progrediens ulla præbet signa tuberculorum crustarumve. Estque ea forma rarissima neque alias cutis partes occupat quam summas, quæ inde colorem accipiunt rubrum, cui succedunt desquamationes, quibus sensim extenuatur cutis; etiam color ruber ac nitidus cutis extenuatæ digito premente cedit.

b) Parva et mollia tuberbula, quæ hanc formam denotant, colorem habent livido-rubrum, et sensim magis magisque serpunt, dum tumet cutis quæ est inter hæc tubercula, et fit quasi oedematosa. Apices illorum in ulcera abeunt, quæ deinde crustis furvis, olivam colore imitantibus, toro eminente, basi tuberculi cinctis teguntur. Quibus crustis delapsis neque ulterius progrediente ulceratione cicatrices oriuntur albidæ, abnormes, inæqualiter sæpe radiatæ. Sæpe etiam in cicatricibus exsistunt iterum tubercula, dum nova alia alias partes faciei occupant, quam itaque totam vexat hæc septica metamorphosis. Illa est forma, quæ quamvis sæpius per faciem gliscat, tamen interdum visa est in pectore et partibus extremis corporis.

2) *Lupus terebrans, perforans, profundus.* Nasus, præsertim alterutra ala sæpissime est locus, unde hæc species habet originem. Ejus prodromi sunt: rubor, tumor et affectio quædam catarrhalis. Deinde oritur tuberculum parvum, rubrum, durum, nullo cum dolore, quod in ulcus abit. Crustæ, quæ hoc ulcus texit, disjunctæ alia eaque spissior succedit. Unaquaque iterata ulceratione ac formatione crustarum aperte absumitur substantia. Rubor ac tumor ex parte nasi primum affecta porro ad reliquas ejusdem partes extenditur, ubi idem morbi processus, quem nuper diximus, in conspectum venit. Jam ad cartilaginem usque penetrat malum, quæ destruitur ulcerationibus, e quibus defluit, quod supra nominavimus, virus seropurulentum. Sæpius, quum videtur sanatio consummata, nova ulcera dehiscunt neque tum parcitur ipsi substantiæ osseæ; septum eroditur et totum locum nasi occupat unum foramen.

Quum, ut sæpe fit, sola superficies nasi afficitur, partes illius singulæ extenuantur, fiunt nares adstrictioni maxime obnoxiæ, per totum organum diffusus est rubor, excepto eo loco, ubi partes laterales in unum coëunt, quæ flavum accipiunt colorem. Maxime variat celeritas, qua morbus augescit. Quum sæpe solidi anni prætereant priusquam exigua pars nasi destruitur, fieri tamen potest, ut totum hoc organum XX vel XXV dierum spatio exstinguatur. Omnes quæ os circumdant partes interdum vi hujus dermatoseos consumuntur; quæ prima oriuntur tubercula et quæ consequuntur ulcerationes tunicæ efficiunt tandem ut ostium oris adstringatur.

3. *Lupus hypertrophicus, non exedens.* Hujus quoque speciei sedes est facies. Solet morbus in genis nasci, ubi oriuntur plura tubercula prominentia, mollia, non sine dolore. Breviore tempore latius serpunt quia in ulcera non abeunt, bases vero eorum in unum coëunt et confunduntur, dum cutis et textura cellularis tument, tubercula magis magisque numero crescunt et faciem guttis rubris quasi conspergunt, inter quas se ostendunt priorum tuberculorum cicatrices speciem habentes guttarum albarum. Ex his tuberculis squamulæ excidunt, quo facto strata cutis hypertrophicæ apparent. Facies quam invasit hæc morbi species, amplitudine crescit, genæ crassescunt, labra tumescunt, qui tumor ad aures quoque progreditur.

Hæc species et multo diutius durat et pertinaciter primo repugnat tentamini curandi. Itaque committendum, ut curatione methodica, diutina et assidua cutis in statum naturalem redigatur, quod fit tuberculis resolvendis et sanguinis circulatione justa et vivida reddita.

Morbi tres species cunctæ in uno homine esse possunt. Itaque nasum invadit ea quæ penitius descendit, dum genas occupat hypertrophica illa aliasque faciei partes superficiaria, quam dicunt. Quo facto læduntur palpebræ inferiores, quæ ulcerantur, detrahuntur, ex quo nudantur oculi, quarumque membranæ conjunctivæ cum tegumentis cuticularibus genarum in unum coëunt.

Qua re membrana nudata afficitur, conjunctiva, quæ dicitur, vehementissime inflammatur, cornea offuscatur, quæ omnia plenam cæcitatem efficiunt. Quum huc accedat subversa palpebra, quam sequitur adnata, facile intelligimus, quam facies ægroti sit horrifica quamque ipse sit miser.

Quod ad diagnosin differentialem attinet, maximi erit momenti hunc morbum ab iis, quibus vulgo confunditur, secernere.

Inter eas dermatoses, quæ sæpius dubitationem injecerunt medicis, est syphilis tuberculosa; non enim minus atrociter sævit neque multum a lupo profundo specie differt. His differunt vero, quod nec eisdem locis oriuntur neque eodem vertuntur. Syphilis ubstantia ossea oritur, quæ abroditur carie et exstinguitur, quo facto partes molliores afficiuntur, quæ ideo consecutive, ut dicunt, affectæ dici possunt. Lupus autem has ipsas partes, cutem dico et cartilaginem primum invadit. Præterea differunt affectiones cutis syphiliticæ colore cupreo, ulceribus altius descendentibus, quibus propria sunt oræ in acutos angulos formatæ, quas habet Lupus devexiores et tegumentis cuticularibus quasi se commiscentes. Ad Morbum dignoscendum multum valet antea observasse symptomata luis syphiliticæ, quæ vel fuerunt vel sunt; ætas denique ipsa

rei lucem afferre potest, quum Lupus homines juniores ab anno decimo tertio ad vigesimum quintum plerumque adgrediatur, syphilis vero in hominibus ætate provectioribus sit frequentior.

A Cancro, cujus nomen morbo nostro sæpe est inditum, discrepat tum numero tuberculorum primum provenientium tum horum ipsa natura. In hac dermatosi unum tantum apparet tuberculum, quod nascitur in labro superiori et textura fungosa est insigne. Tubercula canceratica dum maturescunt magis prominent; margines eorum retrorsum plicantur incurvatæ vehementissimeque dolent; quæ ea tubercula cingunt partes tumefiunt, vasa varicose inflantur. Ulcerationes, in quas longum post tempus ex quo orta sunt tubercula illa, abeunt, non tam densis et duris crustis teguntur quam quas habet Lupus. Heic quoque ætas indicat, qui morbus adsit, quum Cancer in senibus sæpissime soleat occurrere.

Noli me tangere videtur esse species Cancri, quam sæpe existimarunt Lupum incipientem. Designatur tuberculo, partibus inflammatis, tumentibus cincto. Malum in pejus mutant remedia cauterica. Quum in ulcerationem abiit tuberculum, in cute et cartilagine haud subsistit, sed in ipsam substantiam osseam penetrat, quæ inde destruitur.

Primo quidem intuitu fieri potest ut *Gutta rosacea* quoque cum Lupo confundatur, id quod tamen facile potest evitari, si consideres callos, quos habet Gutta rosacea, areola erythematosa esse circumdatos, in abscessus pustulasve verti, plures adesse una majores minoresve, tactosque dolere; quæ omnia in Lupo aliter sese habent.

Elephantiasis Græcorum, quæ medicis minus sollertibus sæpe visa est agere partes lupi hypertrophici, hoc habet præcipuum signum diagnosticum: tubercula numerosa simul exsistentia, forma fere orbiculari, certis terminis circumscripta, quæ colorem cutis, non livido-rubrum habent, et ad alias quoque partes corporis tendunt. Præterea quæ hujus speciei sunt symptomata et communia et priva, aperte indicant genus morbi. Inter eas formas quæ huic propinquæ e pluribus conflatæ sunt et cum ea complicari possunt, præcipue commemorandum est *Erysipelas faciei*, quod fit haud raro, præsertim si major quædam pars malæ ulcerata est. Quod si accedit, interdum vitæ ægroti periculosum est, sæpe vero ipsius lupi præcipue hypertrophici curationi maxime favet; sæpe enim videmus loca ulcerata, adjuvante inflammatione adventitia, habitum induere meliorem, vitalitatem cutis fieri majorem et hac ratione ulcera celeriter ac constanter sanescere. Pathogenia morbi sæpius est obscura et compertu difficillima. Inter causas, quibus morbus oritur et quæ vim ac naturam ejus constituunt ea est maxima, quod cutis a vulgari ratione vegendi aberrat, id quod ex antecedenti processu in-

flammatorio exoriri nonnulli putant. Quod tamen ab aliis negatur, qui statuunt hanc anomaliam e mutatione qualitativa lympharum cutis exsistere. Hoc certe experientia sæpissime probatur, quum ii, in quibus appareret hic morbus, scrophulosa et lymphatica constitutione corporis essent. Itaque in his causis diathesis dyscrastica patuit. In causis minus necessariis vel *occasionalibus* haberi possunt regiones uliginosæ ac paludosæ, victus exilis et insaluber, immunditia, interdum quoque ictus et plagæ. Malum oritur præcipue in hominibus a decimo ad vigesimum et quintum, rarissime supra quadragesimum annum. Hoc vero oppugnat Alibert, qui et adultos et senes huic malo obnoxios esse credit. Sexuum utriusque par atque eadem ratio est. Morbus non est contagiosus.

Prognosis morbi qui tam celeriter procedit, curationi tam pertinaciter resistit, tam deniqne promte redit, quam lupus, non potest non sæpissime esse minus læta. Ea conditione ut sit corporis bona constitutio et fiat curatio apta ac matura, spes est prosperi exitus. Sin exstat morbus in statu hypertrophico, si recrudescunt cicatrices, si manifesta animadvertitur fluctuatio, solida sanatio vix est exspectanda.

Terminatur morbus aut a) *valetudine*, quum ulcera sanantur et densa fit cicatrix nullo remanente tuberculo. Sed quam tætra sæpissime ista valetudo! Morbus frequenter ante non desinit, quam nasus ex parte si non totus exesus est. Eadem haud raro est ratio labri superioris. Quum Lupus adscendit ad oculos, hi plus minus læduntur; si ad aures tendit, plerumque non ante desinit quam tota cartilago auricularis corrosa est, unde ad meatum auditorium externum sæpe pergit, ceteraque loca. Qui hoc modo affecti sunt, raro e malo evadunt cicatricibus solis genas foedantibus quæ cicatrices iis similes sunt, quæ ex adustisaltius descendentibus oriuntur, suntque albæ, nitidæ, tenues, radiationibus stellaribus a centro orbem versus porrectis; quamdiu est in his cicatricibus vel circa eas tuberculum, non potest haberi certa ac constans sanatio; nam ocius seriusve redit morbus recrudescente tuberculo.

b) *morte*, quum morbus ossa infestat, cariemque parit, quæ antrum Higmori intrat ac per orbitam in cerebrum pervadit, unde efficitur mors aut subita aut quod plerumque fit, segnis, accedentibus hecticis symptomtibus. Longos per annos ægrotus vitam trahit miseram, viribus in dies decrescentibus, donec aut fiant tubercula in pulmonibus, aut, qui casus sæpius incidit, diarrhoea colliquativa erumpat. Tunc mors certus et simul optabilis est exitus hujus mali diuturni omnique artis contentioni reluctantis.

In *Curatione morbi* id potissimum est spectandum, ut et amoveatur diathesis morbi et remediis alterantibus redigatur cutis morbidus in integrum statum, quam-

obrem medicamentis tum generalibus tum privis utendum. Antiquis temporibus sola fere priva remedia adhibebantur. Ita unguentis, cataplasmatibus, oleis cet. adhibitis conabantur resolvere tubercula. Hoc modo jam temporibus Pauli Aeginetæ curabatur morbus. Tamen ratione habita ipsius naturæ diatheseos morbidæ, generalia remedia adhiberi sensim coepta sunt. Dyscrasis scrophulosa, ut ante diximus, est inter præcipuas morbi causas, quamobrem curationem antiscrophulosam potissimum sequatur medicus. Ideo habita fuere idonea Cicuta, Murias baryticum aut hoc multo lenius remedium Murias calcicum (ʒj in ℔j aquæ solutum), ex quo datur primis quatuor vel quinque diebus quantum capit cochlear, quæ portio augetur usque ad decem cochlearia quotidie. Decoctum Zittmanni nonnumquam utile repertum est. Quum contra diathesis non tam aperta esset, ad remedia antiherpetica, quæ dicunt, refugerunt, inter quæ efficacissima hæc fere sunt: Oleum animale Dippelii, portione a 5, 6 guttis ad 10, 20—25 aucta; Tinctura Cantharidis, Arsenicum variarum formarum. Perpetuo curandum, ut victu infirmo utatur ægrotus, ut imbibat aërem purum et salubrem, denique ut evitetur subita mutatio temperaturæ, ratione diligenter habita omnium perturbationum menstruorum cet.

Ad remedia externa ac priva quod attinet, eorum sunt dua genera: unum irritantium atque alterantium, alterum cautericorum, quamquam difficile sæpe est ea certis terminis circumscribere. Remediorum illius generis usus indicatur nondum facta exulceratione, quomobrem in forma profunda et hypertrophica atque incipiente superficiaria, recte adhibentur. Ex iis medicamentis, quæ huic generi sunt propria, commendantur Hydrargyrum, Præparata jodina cum Sulphure, Ol. animale Dippelii, Linimentum Keyskii

R. Ungu. Hydrargyr. ℥jß
Camphor. ʒj
Spirit. Therebint. ʒjß
Adipis porcin. ℥jß
M. f. Liniment.

Experientia etiam probatius medicamen sæpe adhibuit Biett joduretum hydrargyricum, ex quo aut protojodureti ℈j ad ʒß cum ℥j adipis aut, quod etiam valentius est, deutojodureti gr. vi—x—xv in ℥jß adipis admiscentur. His unguentis illinuntur partes ægræ, unde oritur inflammatio, quæ multum efficit ad sanationem. Multo tamen validius hocce unguentum:

R. Kali hydrojodic. gr. xij
Unguent. hydrargyr. ℥ß

quod pertinacissima ulcera luposa sæpe vicit brevique effecit, ut bonæ inducerentur cicatrices. Joduretum sulphuricum et Deutojoduretum hydrargyricum haud raro superarunt malum illud quum jam longe processisset.

Ad cauterica vero raro refugitur ante quam ulceratio destruens incedit, ut superficies destructa tota snmmoveatur et succedat sanior, ut fiat suppuratio bona, quam cicatrices solidæ sequuntur. Quorum inter probatissima exstat Nitras argenticum, cujus solutione alterno quoque die penicillo obducuntur ulcera, quibus antea crustæ cataplasmatibus subtractæ esse debent, id quod fit continue per totas hebdomadas vel menses. Liqnorem Hydrargyr. Nitrici ut medicamen validissimum commendat *Richerand.* Præterea commendatur Unguentum corrosivum *Græfii* hujus formulæ:

R. Hydrarg. Muriat. corrosiv. ʒij
Aqu. destillat.
Gummi Mimoseæ āā ℈j
M:r f. Ungu. spissat.

Pulvis Cosmicus maximam sæpe exseruit vim, quum ex iis quæ supra diximus, remediis nonnulla fuere irrita. Multum quoque effecit remedium cel. Dupuytren ex 98—99 partibus Muriat. hydrargyros. et 2 vel 1 part. Arsenici constans, quod infantibus præsertim, mulieribus, iisque, quibus sunt sensus molliores, convenit. Diligenter cavendum, ne nimis magna pars superficiei pulvere simul tangatur, sed potius iterum atque iterum illinatur, crustis, quæ post singulas impositiones ortæ sunt, ante detractis.

Postremo de iis quæ chirurgorum opera facta sunt ad vetera tubercula summovenda et ad nova avertenda, dicendum est. Inter quæ sunt scarificationes, ferrum candens ulceri admotum et exstirpatio partium læsarum, quæ omnia tamen ad sanitatem haud multum profecerunt, quum dolorem solum moverint neque malum ipsum evicerint.

Quum sanato lupo nasus aut truncus factus est aut totus absumtus, est quod triumphet chirurgus, si beneficio Rhinoplastices possit quæ perdita sunt restituere. Operationem ejusmodi mihi contigit videre a cel. D:r Svalin perfectam tanta quidem dexteritate tantoque successu, ut nasus novus forma et specie non multo esset inferior, quam plerique, quos finxit ipsa natura.

Icon exhibet formam superficiariam Lupi in puella quatuor decim annorum, Nosocomio Ordinis Seraphici recepta. Pluribus tuberculis in gena et in regione dextræ alæ nasi ortis, hæc denique infestabatur ulceratione, cujus margines formam habebant

lunæ dimidiatæ; dextra pars labri superioris tumescebat indurata, lineolisque rubris, minutis obserebatur, excidebant squamulæ albidæ. Adhibitis iterum iterumque cautericis cum solutione Nitrat. hydrargyrici, eodemque tempore intrinsecus dato Jodeto ferri, infricatoque Unguento Jodeti sulphuris effectum est, ut solveretur tuberculum totumque consanesceret. Cicatrices speciem figurarum radiatarum gerebant, ex albo rubescentium, subnitidarum, quas cingebat margo ruber tenuissimus. Emarginatio eo tempore omni non mutabat formam lunæ dimidiatæ.

Puella ægrota paucis post factam sanationem hebdomadis de vita decessit orta tuberculosi pulmonum, dissectoque cadavere apparuit utrumque pulmonem ex solis fere tuberculis miliariis constare.